



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXXII. De Officio Judicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

Neque obstat; quòd prædicandi munus foeminis interdictum ab Apostolo sit, 1. Corinth. cap. 14. v. 34. & 1. Timoth. cap. 2. v. 12. quia non ita simpliciter interdictum est, ut, sicut ordinariè & ex officio, sic etiam casu aliquò extraordinariò ipsis permitti non possit ex commissione Papæ, in præcepto Apostolico dispensantis, ut in *cit. cap. 14.* notat Salmeron apud *cit. Tamburinum de Jure Abbatiss. disp. 32. q. 18. n. 4.*

103. Unde *c. Nova cit.* intelligendum est de usu potestatis Clavium, dependente ab Ordine: cujusmodi est Sacramentalis absolutio: non autem de ejus usu in

casu extraordinario, competente ex speciali delegatione, Tamburin. *disp. cit. q. 4.* & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. Tract. 8. q. 5. n. 3.* qui tamen *q. 9. n. 7.* advertit casu, quò laico aut foeminae Sacerdotii jurisdictione, v. g. excommunicandi potestas specialiter delegatur, laicum & foeminam tantum se habere, ut conditionem, ad cuius præsentiam & voluntatem excommunicatio infligitur à Papa, fere sicut, quando laicus aut foemina tempore Jubilæi legit Confessarium, huic absolventi potestatem, non ille aut ista, sed ad ipsorum electionem Papa concedit.



## TITVLVS XXXII.

### De Officio Judicis.

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Ratio Ordinis.</li> <li>2. Definitio Judicii &amp; Jurisdictionis.</li> <li>3. Hac Ecclesiastica est vel Secularis:</li> <li>4. Voluntaria vel Necessaria:</li> <li>5. Ordinaria vel Delegata.</li> <li>6. Hanc ab illa discernendi quatuor Regula.</li> <li>7. Jurisdictio aliqua simpliciter, alia Imperium vocatur:</li> <li>8. Judicii Officium Mercenarium, vel Nobile est:</li> <li>9. Quorum illud subservit actioni:</li> <li>10. Hoc per se stat,</li> <li>11. Et motu proprio,</li> <li>12. Vel ad instantiam partis, Actionem non habentis, exercetur.</li> </ol> | <ol style="list-style-type: none"> <li>13. Hoc casu litis contestationem non exigit:</li> <li>14. Nisi contra certam personam principaliter,</li> <li>15. Et non incidenter tantum, impetretur.</li> <li>16. Jurisdictio vel Simplex, vel Imperium</li> <li>17. Et hoc Merum vel Mixtum est.</li> <li>18. Illud publicum, hoc privatum virtutem spectat.</li> <li>19. Utrumque, de Jure etiam Canonico, datur:</li> <li>20. Et acquiritur Juri vel Principi concessione.</li> <li>21. Delegatione, etiam inferiorum,</li> <li>22. Saltem de Jure Canonico:</li> <li>23. Denatur</li> </ol> |
|--|--|

23. Demum Consuetudine vel Prescriptione.

24. Amittitur diversimodè.

1. **J**urisdictionum Imp. variis Judicum speciebus generalem explicationem Jurisdictionis, omnibus competentis, subjicientem *Rubr. & text. ff. de Jurisdic.* secutus Gregorius IX. & istius vestigiis inhærentes Interpp. post variorum specialia, generale Judicis Officium ac potestatem declarant.

2. **J**udex ergo, à *Jure sive Jusso dicendo* ita nuncupatus, *c. Forus 10. v. Judex de V. S.* est persona de litigantium controversiis cognoscendi, & secundum legum præscriptum & locorum consuetudinem pronuntiandi, publicam obtinens potestatem, *Barbosa in Rubric. n. 4.* quæ potestas à DD. passim Jurisdictio vocatur: quòd pars aliqua sit istius; cum Jurisdictionis generale nomen significationis suæ amplitudine non solum de partium controversiis in judicium deductis cognoscendi pronuntiandique: sed præcipiendi quoque & prohibendi puniendique, leges condendi atque relaxandi, & generaliter omnem, quæ à superiore in subditos ex munere publico exercetur, potestatem complectatur, ut colligitur ex definitione, quæ Jurisdictio cum *Molina Tract. 5. de J. & J. disp. 2. n. 1.* & *Laiman Tract. de Jurisdic. n. 1.* esse dicitur. Potestas publicæ alicujus, eminentiam atque autoritatem super alios habentis, ad eorum regimen & gubernationem.

3. **P**ublica hæc potestas sive Jurisdictio varia: & primò quidem alia Ecclesiastica est & alia Secularis: quarum illa Reipublicæ regimen spirituale, sive Divini cultus conservationem, pacis & Justitiæ Christianæ observantiam & salutem animarum; istavero ejusdem regimen Po-

liticum, sive tranquillitatem & felicitatem civium temporalem spectat.

Secundò, alia Voluntaria est, alia Necessaria: quarum illius actus sunt legitimatio, adoptio, emancipatio, dispensatio, concessio privilegii, collatio beneficii, administratio Sacramentorum, absolutio à peccatis & censuris, delegatio &c. istius verò promulgatio legis vel statuti, cognitio & definitio causarum inter partes litigantes controversarum, punitio delinquentium &c. Inter quas Jurisdictionis species à DD. fere receptæ sunt duæ differentia. Una; quòd Voluntaria non nisi in volentem: Necessaria, sive, ut etiam vocatur, Contentiosa, etiam in invitos possit exerceri, *l. Inter § 3. §. 1. ff. de V. O.* Altera; quòd Voluntaria extra proprium territorium exerceri queat, non etiam Contentiosa; nisi judicis territorialis & fere etiam partium litigantium consensus accedat, *arg. c. fin. de Constit. in 6.* Ratio differentia est: quòd exercitium Contentiosæ fere judicem sedentem pro tribunali & processum, sive strepitum & apparatus judiciale, requirat: non etiam Voluntariæ; hæc enim, etsi aliquando cum cognitione causæ extrajudiciali, sine strepitu tamen & figura judicii & privatim potest exerceri: & cum in alieno territorio ita exercetur, proprii istius judicis jurisdictionem invadere & lædere non videtur, *Glossa in l. Omnes 2. ff. de Offic. Proconsul. Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 20. n. 8.* alios referens & *Laiman Lib. 1. Tract. 4. cap. 5. n. 4.*

Tertiò, alia Ordinaria & alia Delegata. Illa est, quæ ex proprio munere, sive vi suæ dignitatis, officii vel magistratus, quem quis gerit, exercetur, *l. More §. ff. de Jurisdic.* Ista verò, sive delegata, quæ non ex proprio munere, sed præcisè ex alterius, sive Juris, sive hominis, com-

nis, commissione exercetur, juxta dicta *Tit. 29. à n. 1.* Quas jurisdictiones in casibus particularibus discernere volenti usui esse possunt notatu digna quatuor Regula.

6. Prima, jurisdictio, quam confert lex vel canon, aut eis æquivalens consuetudo, Ordinaria est, Bartol. *in l. More cit. n. 8.* & Panormit. *in c. Relatum 19. de Offic. deleg. n. 5.* Nisi collata sit cum clausula, *Autoritate Apostolica* vel *Delegata*, vel *Tanquam sedis Apostolicæ delegatus*, vel aliâ, specialem commissionem denotante, juxta dicta *Tit. 29. n. 9.*

Secunda, à Principe vel alio magistratu supremo ad unam vel plures causas particulares data, solummodo Delegata: ad illarum autem universitatem concessa, Ordinaria est: nisi ista concessa sit cum clausula, significante delegationem, *vg. qua judex Autoritate ipsius concedentis Papa vel Imperatoris, vel Tanquam ipse delegatus*, aut etiam *Nulla exceptione admittitur* vel *Appellatione remota* in casibus, in quibus excipere vel appellare aliâs licet, procedere jubetur; cum enim, his exclusis, procedi jubet, clarè indicat jurisdictionem Ordinariam, remedia ad defensionem comparata, ut sunt exceptio & appellatio, non remouentem, non conferri, Molina *cit. Tract. 5. disp. 14. n. 3.* & Lugo *Lib. 1. Respons. cap. 46. n. 4.* rationem reddens; quòd summus Princeps officium sive magistratum, cui Ordinaria jurisdictione infit, creare possit, & causarum Universitatem committens in dubio semper censetur.

Tertia, pari modo Ordinaria reputanda est jurisdictione, quæ ad causarum Universitatem per viam electionis & suffragia à Capitulo, collegio, vel alia communitate obtinetur, ut est jurisdictione Episcoporum, Abbatum, Generalium & aliorum Superiorum Regularium multo-

rum, atque etiam mercatorum collegiis, opificiù tribubus &c. præpositorum, *cit. Molina n. 2.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 1. n. 97.* quia ad prævium ejusmodi electionem à lege, statuto, consuetudine, vel ab ipso Principe collata censetur.

Quarta, ob Ordinario inferiori, *vg. ab Episcopo vel Prælo Regulari ad Universitatem ex præscripto legis*, Regia vel Consuetudinis *vg. Vicario generalis Rectoribus Collegiorum Societatis Jesu & nonnullis aliis superioribus Regularium collata, Ordinaria: nullò ejusmodi præscripto interveniente, sed mens, sine liberæ voluntatis arbitrio, *vg. Vicario alicujus partis diocesis, Ecclesiæ vel monasterii, aut Vicario Foraneo commisso, Delegata censenda est; quia Princeps inferior sine illius vel legis concessione, iudices & magistratus Ordinarios creare non potest, ut desumitur ex *l. Quod de arbitris post eam. à Judicibus c. 9. §. 1. & Feudor. Lib. 2. Tit. 57. & cum Speculat. Tit. de Offic. Vicar. §. 1. n. 5. tractantur etiam Molina n. 4. & Haunold. n. 4.***

Præterea, partitione perquam celebri Jurisdictione, tam Ecclesiastica quam Secularis, alia Jurisdictione simpliciter, alia Imperium vocatur à Bartolo *in l. Imperium 3. ff. de Jurisdic. n. 1.* & Panormit. *in c. Quod sedem 10. de Offic. Ordin. n. 1.* quarum ejus specierum utriusque explicatio, ut magis expedita clarisque tractata, non parùm conferret, si Officii jurisdictionem celebrem istiusque declarationem præmittamus.

Est igitur, secundum *cit. Insepp.* Judicis Officium duplex. Unum Mercenarium, Nobile alterum: quam ejus divisionem, etiam neque à VV. observatam, neque ullò Juris textu fundatam, afferat Corraus *Lib. 7. Miscell. cap. 9. Altitamen;* quòd ad Officii judicis latissimè præ-

tentis naturam & varietatem declarandam perutilis, & Scholarum Forique usu recepta sit, retinendam merito censuerunt cum Bocero de *Jurisdic. cap. 3. n. 4.* & Wesenbecio ad *Rubric. Instit. hic n. 2.*

9<sup>o</sup> Mercenarium, quod non ita à *Mercenariis* de, in *Judice* sordes redolente, sed honestiore vocabulo *Gratuitum* appellari mallet Cuiacius ad *African. Tract. 3.* sive, ut non incongruè dici potest, *Servum* judicis Officium est, quod Actioni Civili in judicio propositæ subservit & impenditur: sive, quod judex impertitur ad instantiam actoris, propositâ Actione petentis, quod suâ interest, sive ab altero de Jure stricto debetur; quidquid enim judex ex jure stricto, & non ex mera æquitate in judicio præcipit, prohibet, permittit, aut interlocutoriè vel definitivè, non solum super re principaliter in judicium deducta, sed etiam super fructibus, damnis, sumptibus litis, aliisque accessoriis pronuntiat, ex officio suo Mercenarium dicitur expedire, Schneidewin *Instit. de Actionibus §. 11. n. 10.* & Matth, Stephan. de *Offic. judic. lib. 2. cap. 5. n. 5. & 6.* ubi tamen executionem non ad Mercenarium, sed ad Nobile ejus officium pertinere, asserit n. 7. ex ratione; quòd, latâ sententiâ definitivâ, Mercenarium officium, quòd, eâ prolatâ, functus est, expiret, l. *Judex 55. §. 1. Cum quærebatur 62. ff. de Re judic. ad eòd;* ut nec de expensis postea valeat pronuntiare, l. *Terminatio 3. C. de Fructibus & lit. expens. Surdus de Aliment. Tit. 1. §. 43. n. 10.*

10<sup>o</sup> Nobile autem est, quod per se stat, hoc est, quod non præcisè deservit & alligatur actioni vel exceptioni, propositæ à litigante: sed à judice sua autoritate, sive motu proprio & parte non implorante: vel, implorante quidem, sed tamen actionem strictè dictam de Jure non habente; ac proinde Æquitate potius

quàm Jure nitente, vel, eò potius, quàm actione quam habet utente, sibi que consulente, exercetur. Ita *citt. Panormit. n. 5. Molina disp. 5. n. 4.* & Haunold. n. 23. Unde patet, posterius hoc sive Nobile judicis Officium exerceri posse vel motu proprio, vel ad instantiam partis,

Motu proprio exercetur, quando judex ex mero suo officio, sive nullâ parte implorante, ob solam utilitatem publicam autoritatem suam interponit, v. g. leges ferendò, inquirendò in delictum, facinorosos puniendò, c. *Qualiter 24. de Accusat. vel, eùm furiosis, pupillis, aliisque miserabilibus personis constituit tutores, curatores, advocatos, defensores, c. 1. hic §. 1. §. 4. ff. de Postulando;* cum innocentes defendi utique publicè interest, l. *Servum 33. §. 2. ff. de Procurat. aut subditis,* etiam de domini sævitia non conquerentibus, providet; ne indebitè & plus æquò vexentur, juxta l. *Illicitas 6. §. 2. ff. de Offic. Præs. Gaill. Lib. 1. observat. 17. n. 7.* vel eùm; ne partes de possessione contententes ad arma veniant, & pacem publicam turbent, illam utrique aufert & sequestrat: donec, cui momentanea possessio adjudicanda sit, summarie cognoscatur, *citt. Gaill. Observat. 5. n. 2. & Stephan. cap. 6. à n. 1.*

Ad instantiam autem, sive ad implorationem partis in causis privatorum exercetur vel; quia ipsum implorans nullam habet actionem, v. g. si minor suâ facilitate, eùm nemo eum deciperet, rem improvidè vendendò læsus in integrum restitui petit, c. *fn. hic §. 1. ff. de Minoribus;* eùm enim tali casu ex parte minoris propriè dictum agendi jus, & ex parte ejus, contra quem restitui petit, obligatio non detur, læsus omni auxilio destitueretur: nisi æquitate motus judex ipsi, Nobile officium suum impendendò, subveniret, *Zacius in l. 1. ff. de Jurisdic. n. 11. Eo-*

n. 11. Eodem modo, cum filius à patre alimenta sibi negante gravatus, quòd adversus eum strictè dictam actionem non habeat, *l. Lis nulla 4. ff. de Judiciis*, ut tanquam filius agnoscatur & alatur, idem iudicis officium implorat: & cui aureus torques vel crater furtò sublati est; quòd reus utpote incertus, institutà actione conveniri non possit, ut hic publicè excommunicetur, iudicem Ecclesiasticum, implorat, *cit. Stephan. cap. 4. n. 16. § 22.* Vel; quia id implorans, etsi actionem habeat, quà sibi vià ordinarià consulere possit, uti tamen mavult officio iudicis, quòd hac vià compendiosior, & propter periculum moræ expediens esse videatur; sic enim, si adversarius cadat sylvam, in hac venationem exerceat &c. etsi ordinaria actio competat, aliquando tamen imploratur officium iudicis, ut jubeat desistere, apposità clausulà, quam *Justificatoriam* vocant; ut si tali mandatò se gravatum putet, certo die compareat, super jure suo responsurus, Baldus in *l. Omnis 2. C. de Episcop. aud.*

13. Dubium de Nobili hoc iudicis officio offert decisio *c. fm.* an, cum imploratur, opus sit litis contestatione. Quam non necessariam, imò locum ei non esse patet, quando adversus neminem imploratur, *vg. si quis famæ & honori restitui*, ut postulare: vel, ut agere in iudicio valeat, ab excommunicatione absolvi petat: uti etiam, quando imploratur adversus personam incertam, propter aliquod factum cum læsione conjunctum, sed à quo ignoratur, *vg. adversus furem crateris vel torquis aurei, aut famosi libelli auctorem*; cum his casibus, vel non sit, vel ignoretur, quocum litis contestatio fiat. Casu autem, quò id adversus certam personam imploratur, multum interest, an id imploretur principaliter, ut opus sit ple-

narià causæ cognitione, vel solummodo incidenter.

Priori enim casu litis contestatio necessaria est, *c. fm.* cum enim tali casu ipsum iudicis officium imploratum actionis locò succedat, sicut in actionibus seu iudicis ordinariis aliis, sic etiam, cum ipsum ita imploratur, post oblatum libellum, litis contestatio præmittenda est causæ cognitioni, Glossa in *c. fm. cit. p. Pro actione & Vivianus in c. cit. p.* Nisi causa esset omnino liquida & notoria, si pater à filio notoriè refractario obedientiæ & reverentiam sibi exhiberi, aut bellii à patre alimenta palam negata, postulari sibi petant; hòc enim casu, licet sine judiciali cognitione, sic etiam in litis contestatione de plano procedendum esset, *l. Nec quicquam 7. §. 3. ff. de Offi. Proconsul.*

Posteriori autem casu, *vg. si quis in 14.* gressum aut contestationem litis iudicis advocatus, vel illà jam contestatà exceptio, intra debitum tempus non proponita, admitti petatur, litis contestatio necessaria non est, vel; quod non requiritur plena cognitio: vel; quòd sufficientis litis contestatio subsequens aut procedens in negotio principali, quæ ad accessoria extenditur, ut in *c. fm. cit. cum Vi.* viano notant Laiman *n. 3. & Gonzalez num. 5.*

His de utroque iudicis Officio præmissis, ad Jurisdictionis ultimò locò relictas species redimus. Jurisdictio itaque simplex & specificè accepta est, quæ officio iudicis Mercenarij exercetur: Imperium autem Jurisdictio, quæ Nobili ejusdem officio exercetur; etsi enim Jurisdictio Simplex ferè cum Imperio aliquo, & Imperium saltem Mixtum cum Jurisdictione conjunctum reperitur, revera tamen Jurisdictio Simplex ab Imperio distinguitur.

stinguitur: & qui illam sine imperio haberet, proprio motu iudicium inchoare non posset: & iudicio jam inchoato, partibus ab agendo mutuo consensu desistentibus vel transigentibus, ipse quoque cessare cogeretur. Illis vero in iudicio persistentibus sententiam ferre debet, neque partes ad compositionem compellere potest: nisi casu valde raro, quò diuturna & valde intricata lis aliter facile nequit expediri, Panormit. in c. Cum pridem 4. de Pactis n. 6. & Laiman Lib. 1. Tract. 5. cap. 5. n. 7. Unde ulterius

17. Quintò, Jurisdictio, quæ Nobili iudicis Officiò exercetur, sive Imperium aut Merum est aut Mixtum, olim hodièque recepta, & ab Ulpiano l. Imperium 3. ff. de Jurisdic. tradita partitione: cujus & ab eodem JCTO subiectis verbis, Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines: his, inquam, verbis; quia aliqui Imperium Merum definiri: alii, cæteris ejus actibus notatu dignius exemplum referri, existimant, in dicti Imperii utriusque natura explicanda ingens orta est varietas Opinionum & dissenso DD. quorum ingenia in diversa distraxit eodè pertinens controversia altera, an leges condere, creare Magistratus & tabelliones & similes alii, Meri imperii sint actus. Qui cum à jurisdictionis potestate proficisci, & jurisdictioni Simplici Mixtoque Imperio attribui non possint, præ aliis, quantumvis minimè levis momenti ratione mixis, semper placuit & SS. Canonibus conformior visa est explicatio, quam præter alios antiquiores laudati sacri prophanique Juris Interpretum Principes, Bartolus in l. cit. n. 6. & 14. & Panorm. cit. n. 5. tradiderunt, & ex RR. cit. Molina n. 4. Laiman n. 8. & Haunold. n. 33. sunt amplexi.

18. Secundum istos itaque DD. proprii

actus Meri publicum; Mixti verò Imperii actus privatum bonum primario respiciunt: etsi secundario & per quandam consequentiam illi in privatum, & hi in publicum bonum redundant. Unde secundum DD. cit. per definitionem, Merum imperium est Jurisdictio, quæ iudicis officio Nobili, publicam utilitatem spectante, exercetur: Mixtum verò est jurisdictio, quæ eodè iudicis officio, privatam utilitatem spectante, exercetur, ut utriusque actuum consideratio planum reddet; Meri enim Imperii actus sunt, condere leges totam Rempublicam obligantes, cogere Concilium & indicare comitia, constituere publicos magistratus & ministros, imponere tributa & alia similia supremæ potestati reservata: malefactores vitæ aut membri amissione punire, eos redigere in servitutem, deputare ad metalla, igni & aquâ interdicerè, relegare, carceris aut aliâ corporis afflictivâ vel pecuniariâ poenâ coercere, degradare, deponere, censurare, non alicujus privati, v.g. ut ipsi debitum solvantur, vel injustè ablatum restituatur, sed publici boni intuitu, condemnare ad triremes, in carcerem detrudere &c. Mixti autem Imperii actus sunt spurios & infames rescriptò natalibus, famæ, pristino statui restituere; minoribus dare veniam ætatis, revocare sententiam, quæ transit in rem judicatam, causas committere Non admittâ exceptione vel Appellatione remota, Episcopum ab una sede ad aliam transferre, & alia ejusmodi, supremo Principi reservata: item restituere in integrum, constituere tutorem vel curatorem, in alienatione rerum immobilium & pretiosarum, in emancipatione &c. auctoritatem interponere, mittere in possessionem bonorum & similes. Quos Mixti & Meri imperii actus in sex gradus dividunt, & Maximum, Majus, Magnum, Ss ss 2 Parvum,

Parvum, Minus & Minimum Merum aut Mixtum Imperium appellant Bartolus & ejus sequaces, præsertim Luveranus de *Arbore Jurisdic.* à n. 10. & cit. Molina disp. 6. tota. Unde satis expedita est resolutio

19.

Dubii, an Merum Imperium de Jure etiam Canonico detur: quod Zæsius in *Decretal. Lib. 1. Tit. 29. n. 18.* negat, eâ ductus ratione; quod ex una, l. 3. cit. Verbis, *Merum Imperium est, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines*, ejus Imperii non, ut nos, illustrius exemplum, sed definitionem tradi velit: ex altera verò parte, gladii potestas penes Ecclesiam nulla sit, can. *Inter 33. q. 2.* & propterea rei ultimò supplicii efficiendi Curie seculari tradantur, c. *Cum non ab homine 10. de Judiciis*, cum efficaci intercessione, ut citra mortis periculum circa eos sententiam moderetur, c. *Novimus 27. de V. S.* Sed malè, cum; quia aliquam gladii potestatem etiam penes Ecclesiam esse, satis apparet ex can. cit. can. *Sicut 44. in fine 23. q. 4. c. Dilecto 6. de Sent. excom. in 6. & Extravag. Unam sanctam inter com. de Majorit.* tum verò; quia, licet gladiò corpus perimente Ecclesia non utatur, can. *Inter & c. Novimus cit.* excommunicationis tamen, non minùs quàm mortis corporalis timendam sententiam, non summus Pontifex duntaxat, sed Episcopi quoque & alii Prælati proferendi, & alios, sicut Mixti, sic etiam Meri Imperii actus exercendi obtinent potestatem, ut ex c. 1. de *Offic. Ordin.* cum Panormit. c. *Quòd sedem cit. n. 7.* colligunt cit. Molina disp. 7. à n. 1. & Laiman cap. 5. n. 11.

20.

Dubium insuper est, quomodo jurisdictioni acquiratur. Et Legis quidem, vel summi Principis, alicui dignitati, magistratui, officio, vel personæ factâ concessione eam acquiri, omnes facillè consentiunt. Dissentiunt autem, an ea, saltem quæ

Imperii sunt, acquiri possint delegatione; utrumque enim Imperium delegandi facultatem judicibus, summo Principe inferioribus, à Jure saltem Civili ademptam, cum Bartolo in l. 1. ff. de *Offic. ejus, cui mand. n. 3.* & aliis ejus Juris Interpretis docent Clarus §. *fn. q. 41. n. 1.* & Corruvius *Lib. 3. Var. cap. 20. n. 2.* & delamunt de Mero ex l. 70. ff. de R. J. cuius tenor est, *Nemo potest gladii potestatem sibi datam vel cujuslibet coercitionis dignæ sive atrocioris, Gloss. ibi) in aliorum transferre.* De utroque ex l. 1. ff. de *Offic. ejus, cui mand.* cujus non minus dicitur textus est, *Quacunq; specialiter Legi vel Constitutione Principum tributum, mandatâ jurisdictione non transferretur*, Rationem reddunt; quòd hujusmodi causæ specialiter concessæ sint Magistratibus majoribus, & propterea in his electe censetur industria persona. Idem de Imperio Mixto negat, proindeque hoc exceptis, si qui sunt specialiter prohibitis casibus, de Civili etiam Jure delegari posse, cum Fachineo *Contravest. lib. 3. cap. 90.* censet Engel ad banc Rubric. n. 28. propter textus l. 1. §. *fn. l. Cognitio 4. §. 1. & l. fn. ibi, Mandatâ jurisdictione privato etiam Imperium, quod non est Merum, videtur mandari. ff. de Offic. ejus, cui mand.* Imò Petr. Barbosa, de Jure Civili meri etiam Imperii causas potestatem gladii & atrocioris duntaxat concessione exceptâ, delegari posse, eruditè evincere conatur in l. *Cum Prætor 12. §. 1. ff. de Judiciis n. 470.*

Sed, utrunque de Civili res se habent, de Canonico Jure ad utrumque Imperium pertinentes causas ab Ordinariis Ecclesiarum Prælati delegari posse, in c. *Quòd sedem cit.* cum Glossa *V. Committitur* notat Panormit. n. 4. quem secuti sunt idem Barbosa n. 518. Maranta de *Ordine Judic. p. 4. disp. 5. n. 62. cit.* Molina disp. 17. n.



17. n. 4. & alii, hac in re Ecclesiastici ab Imperiali Jure divortium frequentiori calculo statuentes, & eruentes ex *Clement. 1. §. Propter de Hæret. c. fin. Ne Clerici vel Monach. in 6. c. Licet 2. de Offic. Vicar. in 6. §. c. Cùm Episcopus 7. de Offic. Ord. in 6.* quorum textuum primò, Hæresis: alterò, sanguinis: postremis duobus, Criminales & ad Merum Imperium pertinentes causas delegare, Episcopi discretè permittuntur. Rationem differentia, si quæ est, reddit *cit. Barbofa n. 520.* quòd Jure Civili Merum Imperium non quoad competentes Jure Magistratùs, ut est incarcerationio & similes: sed quoad eos duntaxat actus, qui ex speciali Populi aut Principis commissione competebant, ut est ulus gladij in facinorosos, sive eorù condemnatio punitioque & atrocior coercitio, *l. 1. §. fin. l. Nemo 70. cit. & l. Solent 6. pr. ff. de Offic. Proconsul.* non potuerit delegari, *l. 1. pr. ff. De eo, cui mand.* Jure autem Canonico Merum Imperium Episcopis aliisque Prælatibus Ecclesiasticis competat jure Magistratùs vel officii, *c. fin. ibi, Ex officio, de Offic. Ord. c. In Archiepiscopatu 4. de Raptoribus &c.* quòd modò competentia delegari posse colligitur ex *l. 1. V. Quæ verò ff. De eo, cui mand.* Confirmatur generali consuetudine, quâ Mixti Merique Imperii & Capitales etiam causas delegari, testes sunt *Clarus n. 1. cit. & Welenbecius in Paratit. ff. eadem Rubr. n. 4.* procul dubio ideò; quòd hodie utrumque competit jure officii vel Magistratùs: quæ, cùm dubii Juris interpres optima sit, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* ab ea potiùs; quàm ab ambigui Juris Civilis textibus aut frequentiori expositione interpretationem SS. Canones recipere videntur.
23. Non satis etiam inter DD. convenit, an Imperium utrumque consuetu-

dine aut veriùs præscriptione acquiri possit. Quæ in re mihi semper placuit distinctio satis frequenti DD. calculò approbata; etsi enim quoad ea, quæ Principi in supremæ potestatis signum referata sunt, ut est suprema appellatio, promulgatio legis universalis & similia, Imperium Merum præscribi nequeat, per tradita à Panormit. *in c. Cùm contingat. 12. de Foro compet. n. 14.* præscribi tamen à personis quasi possessionis capacibus, tam Ecclesiasticam quàm Secularem jurisdictionem, & Imperium Mixtum Merumque potest quoad alia, v.g. legitimandi, tabelliones creandi, vectigalia imponendi &c. potestatem: dummodo Principe inferioribus interdum concedi consueverint, ut cum eodem Interprete *n. 15. & Covarruv. in Reg. Possessor p. §. 2. n. 12.* tradunt Haunold. *cit. Tract. 1. n. 42. & Engel ad hanc Rubric. n. 23.* propter textus *c. Super quibusdam 26. de V. S. ibi, Ex antiqua Consuetudine & l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. annor.* præscriptionem omnis juris publici & privati in quacunque causa & persona permittentis. Ratio est; quia præscriptione à Jure Positivo, cujus ea creatura est, semel introductâ, ei obnoxia sunt, quæcunque vel ex natura rei, vel ex ejusdem Juris dispositione præscribi non prohibentur: jurisdictionem autem & Imperium etiam Merum quoad ejusmodi actus præscribi, neque rei natura neque Juris dispositio prohibet.

Neque obstat; quòd privatus, usurpans jurisdictionem, & præsertim Imperium Merum sibi non competens, læsæ Majestatis crimen committat, *l. Lex duo 3. ff. ad L. Jul. Majest. &* privati carceris custodiam exercens, incidat in crimen carceris privati, *l. 1. C. de Privat. carcer.* quia utriusque legis dispositio procedit de eo, qui talem potestatem sibi

tem sibi non competere scit, & nihilominus usurpat: qui ob bonæ fidei, ad omnem præscriptionem necessariæ, c. *fin. de Prescript.* defectum, utique non præscribit. Secus eveniret, si Jurisdictionis & Imperii, uti & carceris usus bonæ fide & legitimo tempore, hoc est, quadraginta annis cum titulo vel tempore immemoriali, c. 1. *de Prescript. in 6.* imò secundum aliquos quadraginta annis, etiam sine titulo continuaretur. Qua de re *Lib. 2. Tit. 26. art. 6.* sermo redibit.

24. Officium iudicis & jurisdictio Ordinaria, quæ Vicaria non est, in perso-

na finitur ipsius morte, renuntiatione ab eo, ad quem spectat, acceptatâ, c. *Denique 6. q. 3.* depositione ab officio, five istius privatione & translatione, Holtienf. *in Summa de Offic. Ord. n. 3.* Non Vicaria, inquã, & *In persona.* Præsertim quia Vicariæ, uti etiam Delegatæ, aliam rationem & finem esse, patet ex *offic. Tit. 28. n. 50.* & *Tit. 29. a. n. 71.* Præsertim; quia, si inhæreat magistratui, dignitati, officio, personæ mortuæ, renuntiantem, depositâ &c. non finitur: sed cum Magistratu &c. transit ad ipsius successorum.



## TITVLVS XXXIII.

### De Majoritate & Obedientia.

**S**uprà relatorum Iudicum & aliarum personarum Ecclesiasticarum non omnes pares; sed, sicut Beatorum Spirituum in Triumphan- te, *can. fin. dist. 89.* sic & in Militante Ecclesia Clericorum aliarumque personarum Ecclesiasticarum varii Ordines & gradus, & horum alii majores sunt, alii minores: & alii quidem sollicitudinem & dilectionem, tanquam subditis: alii verò reverentiam & obedientiam, tanquam majoribus debent. Ex qua causa, paucis discutiamus.

#### ARTICVLVS I.

De Majoritate, competente ratione Ordinis & Antiquitatis.

#### SUMMARIUM.

1. Major quis altero est Ratione Ordinis,
2. Præsertim à Papa accepti:
3. A quo ordinatum dependere eum & pifcopus potest.
4. Antiquitatis in curia & castrii,
5. In Academiis & Gymnasiis,
6. In Religiosis Ordinibus,
7. Et in Ecclesiis ratio habetur.
8. In his, prius possidens, ante privatio præferetur:
9. Si ipsum non colligant,
10. Sed alius à possessione capenda impeditur.
11. In possessione unâ horâ prior præfertur.
12. Canonici recuperatio non simul recuperatur pristinus locus:
13. Nihil